

Petr. Gl.

RHEBINDER, Petrus. Calvinismus irreconciliabilis, seu Delin-
neatio caussarum, earumque applicatio ad Calvinismum, pro-
pter quas Josephus Halle, Exonienis episcopus Papissimum
censuit irreconciliabilem. Wittenberg, sumptibus Johannis
Bergeri, 1641. 4to. (titleleaf, 134 p.). Bound with: WIGAND,
Laurentius. Quaestiones vexatae, I An semper in forma syl-
logistica de rebus theologicis disputandum est ? II An
Christus tempore mortis verus homo fuerit ? III An Christus
profinali etiam imponitentia satisfecerit ? IV An peccatum
originis formaliter sit aliquid positivi ? Wittenberg,
typis Johannis Formanni, 1625. (52 (last blank) lvs). And:
LATERMANN, Johannes. Disquisitio theologica de gratia et
libero hominis arbitrio. Rostock, typis Nicolai Kilia, 1647.
(32 lvs). And: WITTENIUS, Iohannes. Themata philosophica,
de libertate voluntatis humanae in actionibus naturalibus.
Wittenberg 1608. (16 lvs). And: ODHELIUS, Ericus H. Dispu-
tatio theologica de tribus universalibus aeternae hominum
salutis causis: dilectione, redemptione, & vocatione Upsala,
imprimebat Eschillus Matthiae, 1648. (20 (last blank) lvs).
And: STALENUS, Laurentius Johannes. Disputatio theologica
de miraculosa primorum generis nostri parentum formatione,
deque, eorundem primaevae perfectionis statu incidenter sal-
tem & perfunctoriè considerato; in specie verò de imagine
Dei, ad quam primitùs sunt conditi. Upsala, imprimebat
Eschillus Matthiae, 1647. (12 lvs). And: MARTINI, Ericus,
Ericus MATTHIAE & Abrahamus MATTHIAE. Disputatio de baptis-
mo ex articulo nono Confessionis Augustanae. Upsala, impri-
mebat Eschillus Matthiae, 1648. (14 lvs) -C.15-

Hunc librum Musis
suis inservientem
iure possidet
Theodor Mahlmann



16

DISPUTATIO
De
BAPTISMO
Ex Articulo Nono Confessio-
nis Augustanae;
IN
Synodo anniversaria Upsaliensi
proposita,
SUB PRÆSIDIO
JOHANNIS CANUTI
LENÆ I. A. Upsaliensis.

R E S P O N D E B U N T.

- Dn. Ericus Martini Comminister in Nåås.
Dn. Ericus Matthiæ Comminister in Nora.
Dn. Abrahamus Matthiæ Comminister in Wendelæo

4. die Julij, Anno 1648.

U P S A L I Å,

Imprimebat Eschillus Matthiæ.



Ezech. 36: 25.

Aspergam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omni bus inquinamentis vestris; et ab universis idolis vestris mundabo vos: Et dabo vobis cor novum, et Spiritum nrum ponam in medio vestri, et auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum: Et Spiritum meum ponam in medio vestri, et faciam ut in preceptis meis ambuletis, et judicia mea custodiatis.

Ier. 31: 31.

Ecce dies venient dicit Dominus, et feriam Domui Israel et domui Iuda fædus novum: Non secundum pactum quod pepigisti cum patribus vestris. Sed hoc erit pactum quod feriam cum domo Israel. Post dies illos, dicit Dominus dabo legem meam in viscibus eorum, et in corde eorum scribam eam: Et ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum.

Ier. 13: 1.

In illa die erit fons patens domui David, et habitantibus Ierosolyma in ablutionem peccatorum.



ARTICULUS NONUS DE BAPTISMO.

Thesis I.



N genere tenendum est, Sacramenta esse ritus sacros seu actiones Divinitus ordinatas, quibus Deus mediant verbo institutionis ac elementis visibilibus, dona cœlestia in Euangeliō promissa, singulis credentibus applicat & ob-signat.

2. Sacros esse hos ritus dicimus, quia ad res sacras fidei scilicet confirmationem adhibentur, ad memoriam & certitudinem fœderis, quod Christianis fidelibus cum Deo intercedit.

3. Et quamvis elementa singulis applicata, signa sint Divinæ gratiæ nobis oblatae & exhibitæ; maluit tamen orthodoxa Ecclesia per actionem defiōire, quam per signum; ne in solo signo hærens animus virtutis divinæ obliviscatur, quam Sp. Sanctus in fidelibus operatur actione hac Sacramentali. Scripturarum evidētia hoc docet, sic Baptismus dicitur *la* *vacrum regenerationis* Tit. 3:5. Panis cœnæ non signum, sed *participatio corporis Christi*. 1. Cor. 10:16. Item ob plures actiones in Sacramenti administratione concurrentes.

A 2

4. Quia

4. Quia vero Sacra menta, ea solum agnoscit Ecclesia, quae Deum habent autorem, ideo non licet ulli mortalium hic aliquid addere vel detrahere, prohibente scilicet Domino. Deut. 12: 32. Ezech. 20: 18. Nihil addes, & nihil detrahes. Neque ad usum alium adhibere, quam ad eum, qui expresso verbo divino prescribitur: vanus enim esset talis cultus secundum judicium Christi. Matth. 15: 9. Et Jer. 9: 13. Testamenta sunt Domini, quibus nemo superordinat. Gal. 3: 15.

5. Ad sacramenti constitutionem duo requiruntur, verbum institutionis, proprium & elementum verbo institutionis designatum; juxta illud Augustini, Accedit verbum ad elementum, & sit sacramentum. Respicit vero verbum institutionis promissionem quam semper adjunctam habet; sic cum Abraham circumcisio precipitur, additur promissio pacti aeterni, ut sit Deus ejus & seminis ejus post eum. Gen. 17. Johannes predicavit Baptismum paenitentia in remissionem peccatorum: Marc. 1: 4. Estque objectum fidei ejus qui baptizatur. Et Mar. 16. Qui crediderit & Baptizatus fuerit salvus erit. In coena Sacramento promittitur remissio peccatorum: Matt. 26: 28.

6. Fides etsi Sacra menti constitutionem non ingreditur, quod virtutem & perfectionem habet a Deo & Divina ordinatione; & incredulitas hominum fidem Dei non evacuat. Rom. 3: 5. Tamen necessaria est utenti Sacramento, ut fructum percipiat in verbo promissum, quem sola fides recipere potest, juxta institutionem Christi superius adductam. Marc. 16: 16. Et nisi Abraham credidisset Deo promittenti, frustra fuisset circumcisus, & justitia caruisset.

7. Diversitatem Sacra mentorum veteris & novi testamenti innuit Apostolus, Heb. 10: 1. Col. 2: 17. Umbra aeternorum honorum, corpus autem Christi. Nam ritus veteris Testamenti ēn tūπω significarunt seu adumbrarunt bo-

na...a



na ventura; Christum intellige venturum; ac passionem eius, qui non Patrum tempore, sed in plenitudine temporis, hoc est tempore a Deo difinito, novi scilicet testamenti, incarnatus, natus, passus est, quae patribus quidem promissa fuerunt & typis adumbrata: nobis vero praestita & reipsa completa sunt. Alias Patribus remissio peccatorum, gratia Dei & salus ex merito Christi venturi, in quem crediderunt, contigit, sicut & nobis. Act. 15: 11. Ex quo loco probat Augustinus, Patres per meritum Christi salvatos, non per opera legis. Cont. Ep. Pelag. l. i. c. 21. Et Paulus Rom. 4: Gal. 3. & 4.

8. Conveniunt tamen sacramenta utriusq; testamenti, quia in utrisq; requiritur verbum & elementum, utraq; a Deo ordinata sunt, utraq; promissionum & fidei confirmationi serviunt. Quod de circumcisione docet Apostolus, Rom. 4: 11. Exemplo Abrahams. Et signum accepit circumcisio-
nis, signaculum justitiae & fidei. Mirificè autem aucta fuit fides Patriarchæ hoc signo, sicut patet postea v. 18. Qui contra spem in spem credidit. Et mox: In reprobmissione Dei non hesitavit dif-
fidentia, sed confortatus ostē fide dans gloriam Deo. Unde Abra-
ham accepto mandato, filio suo magnopere dilecto non pe-
percit, quamvis in eum facta fuerit promissio, ipse vero fi-
lium offerre constituit. Gen. 22. Cetera petantur ex Locis
Teologicis.

9. His ita præmissis de Baptismo in posterum agemus;
Qui est Sacramentum Novi testamenti, quo Deus homi-
nem peccatorem in nomine Patris, & Filij & Sp. sancti,
equā baptizatum regenerat, ac meritorum Christi partici-
pem factum in gratiam recipit, ac æternæ salutis hæredem
facit.

10. Baptismi initium factum est a Johanne Divinitus ad
baptizandum missus: fatetur ipse: Joh. 1: 33. Qui misse
A. 3. baptez.

baptizare in aqua ille dixit mihi; &c. & Lucas in initio cap. 3. temp^o notat quo factū est verbusū Domini super Iohannē; secundum vaticinium, Eze. 40. 3. Qui & Angelus seu Nuucius Dei dicitur, prænuntians adventum Domini. Mal. 3. v. 1. Igitur non Iohannes, sed Deus autor est Baptismi, à quo missus erat ad baptizandum. Ritum hunc Christus continuat & confirmat. Joh. 3; 22. & c. 4:1. Et Matt. 29: 19. Ubi etiam verborum formam præscribit.

ii. Congruit Baptismus Johannis cum Baptismo Christi & Apostolorū; probatur: 1. quia doctrina eadem, baptizabat n. & prædicabat Baptismū pœnitentia in remissionem peccatorū. Mar. 1:38. Et Luc. 3. Sic Petrus Act. 2: 38. Pœnitentiam agite, & Baptizetur unusquisq; vestrum in nomine Iesu Christi, in remissionē peccatorum. 2. Quia fructus idem fuit & efficacia eadē: Nam salvi facti sunt, accepta remissione peccatorum etiam qui à Iohanne Baptizabantur. Erat enim hoc consilium Dei de salute eorum. Luc. 7: 30. Christus ipse & Apostoli à Iohanne baptizati sunt; Petrus, Andreas, Philippus &c. : ut patet. Joh. 4. nec denuo fuerunt baptizati. Et Christus Iohannes baptismon ad salutem fuisse efficacem, Nicodemus denuntiat; Joh. 3. priusquam ipse baptizare cepisset. 3. Quia unus est Deus, unus est Christus in quem credimus, unum baptismū, una fides. Eph. 4: 4. Nec obstat quod Baptista dicit se baptizare aqua, Christum vero Spiritu Sancto. Matt. 3:11. Joh. 2: 26. & 33. Fatetur enim se ministrum esse, qui ministerio & externo opere docet ac baptizat: Christum vero Dominum esse, à quo provenit efficacia ad salutem, & Spiritus sancti donum.. Et cum Paulus Act. 19: 2. baptizatos baptismo Iohannis, iterum baptizasse legitur; elenchus est compositionis & divisionis; Iohannes baptizavit, ne crederent in eum qui venturus esset, hoc est in Iesum. Axiomatis, quæ verba prioribus coherent; ut sic sensus:

Qui

Qui audierunt Iohannem sic prædicantem, baptizati sunt in nomine Domini Iesu. Alias sequeretur Iohannem non baptizasse in nomine Iesu, quod tamen asserunt verba proxime præcedentia. Paulus autem manuum impositione efficit, ut acciperent Spiritus Sancti mirabilia dona. v. 6.

12. Differentia si qua sit; ut quod Iohannes in venturum, Apostoli in præsentem Christum, nos in exhibitū baptizam, accidentariū est, fructū nō variat nec minuit efficaciā baptisimi. Hic cum ad baptismum Apostolorū miraculosa dona sequebantur & in Ecclesia durabant ad tempus; id baptismo illorum nihil addit, nostro nil detrahit, cum de fructu baptismi proprio agimus. Sic utrum corpus baptizandi totum aquis immersatur, sive pars aliqua corporis aqua aspergatur, substantiam baptismi non variat: multo minus quæ extra sunt; qualis est intentio ministri, qui sive regenerationem baptizati intendat, sive rectè an secus de hoc ritu sentiat, baptizati conscientiam turbare non debet, modo adhibeantur substantialia baptismi, verbum scilicet & elementum à Deo ordinatum. Non enim ex qualitate aut intentione ministri pendet efficacia, sed ex operatione spiritus & virtute ejus qui instituit.

13. Quæ aut verbo non inest vis vel naturalis vel magica; adhibentur vero ut organa vel media, per quæ Deus regenerationem operatur. *Nisi quis renatus fuerit ex Spiritu & aqua æquæ non potest videre regnum Dei. Ioh. 3: & 5.* Virtus itaq; coelestis est & Divina, elementis Sacramentaliter conjuncta; qua Spiritus Sanctus concurrens regenerationem & salutem operatur. Tit. 3: 5. Secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis ac renovacionis Spiritus Sancti: quem effudit in nos abundè per Jesum Christum Salvatorem nostrum. Adebat igitur Spiritus ut Deus qui in eus cor illuminat hominem regenerat, sanctificat, in fide

con-

coⁿfirms. Deinde fit arrha, σφαγισ, pignus hereditatis no-
stræ. Eph. 1:14. 2. Cor. 5:14. In hoc cognoscimus quoniam
in eo manemus, & ipse in nobis, qui a deo Spiritu suo dedit nobis.
Ioh. 4:13. Qui virtutes in renatis operatur. Gal. 3:5. Et dicitur
Spiritus adoptionis filiorum, in quo clamamus abba pater. Rom.
8:14. Et reddit testimonium Spiritui nostro, quod sumus filii Dei. v. 16.
Quis signavit nos. & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris 2. Cor.
1:22. Qui docebit nos omnem veritatem. Ioh. 19:13. Et haec
est unctio de qua. i. Ioh. 2:10. & 27.

14. Quia vero ut sacris præsint, eaque administrent ad
hoc officium ordinati, quorum est docere & sacramenta ad-
ministrare; dubium non est ad eos quoque ordinarie Bapti-
smi administrationem pertinere; etiam ex ordinatione
Christi Marc. 16: Eunter docete & baptisate. Attamen, cum
urget necessitas, cum adest periculum mortis aut privatio-
nis baptismi; ad evitandum temptationis aut desperatio-
nis malum, permisit Ecclesia fidelibus laicis, aut etiam mu-
lieribus Baptismum administrare. Sicut Zipora, necessi-
tate adacta filium circumcidit, ac maritum de vita peri-
elitatem liberavit, Exo. 4:24. Ut enim ordinariè in cæ-
tu Ecclesiæ & alias, docendi munus ministris commissum
sit, mulieribus prohibitum, 1. Cor 14:34. Licitum tamen
fuisse privatim, Matri & Aviæ Timothei, 2. Tim. 1: Et
Samaritana illa Samaritis suis, in peculiari casu, palam de
Christo prædicat. Ioh. 4.

15. Ut vero haec eadem necessitatis circumstantia, Sym-
bolorum variationem desideret, ut loco aquæ adhibetur
liquor qui in promptu sit ali⁹, id vero non permittitur; spe-
ciat enim elementū aquæ ad substantiā Sacramenti ex insti-
tutione Divinâ, quæ non variatur: sup. th. 4. Non
damnat vero haec sacramenti privatio quæ fit propter de-
fectum symbolorum quæ vitari nequit; modo desiderium
adit

adsit & fides, absit vero negligentia voluntaria vel contem-
ptus.

16. De totius corporis immersione in aquam quæritur, an sit necessaria, & an capitis ablutio sufficiat? Hanc rem pie credimus relictam esse libertati Ecclesiæ; Philippus & Eunuchus descenderunt ambo in aquam & baptizavit eum. Et ascenderunt de aqua. Act. 8:38. & Ecclesijs quibusdam usitatum esse, puerum nudum toto corpore aspergere aqua. Verum ut hæc quoque varietas accidentaria est, ita licet arbitramur partem corporis aqua aspergere, modo aqua adhibetur; sufficere autem ad totius hominis regenerationem, si ut nobis usuvenit, caput ut principale membrum abluatur. Nam & circumcisio in una corporis parte peracta, totum hominem regeneravit. Et quia in templo baptismus peragitur, non sine periculo sanitatis tenellus infans nudatur, brumæ tempore.

17. De Christi sanguine quod quæritur ejusque præsen-
tia, sciendum est fructum passionis & effusionis sanguinis
Christi, nobis certissimè applicari in remissionem peccato-
rum; Ut in morte ipsius baptizati, Rom. 6:3. Regenera-
mur ad salutem & vitæ novitatem. Quem proposuit Deus
propitiationem per fidem in sanguine ejus. Rom.3: Neque vero
etiam dubium est Christum totum in sacro Baptismo etiam
suo corpore & humanitate adesse & cooperari, ut in omni-
bus salutis, redēmptionis, sanctificationis nostræ ἐνεργήμασι
& operationibus; juxta promissionem. Ecce ego vobis cun-
sum, omnibus diebus, usq; ad consummationem seculi. Matt.28:

18. Pertingit hæc ablutio non ad membrorum corporis emundationem solum, sed etiam ad animæ purgationem;
sicut non solum corpus, sed etiam anima peccato infecta
purgatione opus habet. Purgatur autem peccator non so-
lum quoad peccati remissionem, & abolitionem reatus, ut

B

sequa-



sequatur tranquillitas & pax conscientiae in his quæ ad
Deum. i. Pet. 3: 21. Sed ut vetus homo crucifigatur, & destru-
atur corpus peccati. Rom. 6: 6. Ut peccato mortui, vivamus
Deo in Christo Iesu Domino nostro. ibidem, v. ii. Ut dicere
possimus cum Apostolo, Gal. 2: 20. Vivo jam non ego, vi-
vit autem in me Christus. Hæc vis tanta, non inest aquæ
simpliciter ex se & ex sua natura; sed ex Dei ordinatione
& virtute verbi, aqua vim Sacramentalem supra naturalem
acquirit, ex Spiritu Sancti operatione.

19. Peccatorum remissio quæ in baptismo contingit,
totalis est, omni reatu sublato, Act. 2: 38. Sanguis enim Iesu
Christi emundat nos ab omni peccato. i. Ioh. 1: 7. Quæritur
autem, an fructus baptismi pertingat ad eos, qui prolabun-
tur in peccata mortalia, & an in his desiccat virtus Baptismi,
ut opus sit alio remedio? Scolasticorum hæc fuit opinio,
quam notat Lutherus de captiv. Babyl. deducta ex ver-
bis Hieronymi male acceptis qui poenitentiam appellat se-
cundam Tabulam post naufragium. Tom. I. ad Demetri-
adem, & ad Sabinianum Diaconum. Repetit & probat
hunc errorem concilium Tridentinum Sess. 14. can. Quem
astruit etiam Bell. Jesvita de poenitentia l. i. cap. 13.

Sed respondendum est foedera Divina cum humano
genere æterna sunt. Circumcisio, Gen. 17: 13. Iris. Gen.
9: 12. Cum Davide, 2. Sam. 7: 13, Hoseæ, 2: 19. Desponsabo
te mibi in æternum. Numquid incredulitas hominum fidem Dei
evacuat? Rom. 3: 3. Si nos infideles erimus, ille tamen fidelis ma-
net, negare scipsum non potest. Huc respiciunt promissio-
nes Divinae illis propositæ, qui acta poenitentia, ad fœ-
dus cum Deo factum revertuntur. Esa. 1: 17. cap. 44: 21.
Ubi gentem Israeliticam ab idolis ad fœdus antiquum re-
vocat. Sic. Ezech. 18. Manet ergo fœdus à parte Dei, ra-
tum ac inviolabile. Si quis peccaverit, advocationem habemus
apud

apud Patrem Iesum Christum. Ioh. 2: 1. Cum eo enim fœdus fecimus in Baptismo, ad ipsum confugimus admisso peccato, repetentes fœdus Baptismi, ut nos Patri reconciliet. Papistica vero hæc Tabula opus pœnitentiae respicit, ut operi nostro tribuatur reconciliatio. Suffragatur nobis Augustinus, de nuptijs & conc. cap. 33. de dicto ad Eph. 5: 26. Sic accipiendum est, ut omnia prorsus mala hominum regeneratorum mundentur atq[ue] sanentur; non solum peccata, quæ omnia remittuntur in Baptismo, sed etiam quæ posterius, humana ignorantia vel infirmitate contrabuntur.

20. Sed cum in Baptismo tollatur omne peccatum, videmus tamen manere concupiscentiam, fontem actualium peccatorum, quæ fideles impellit ad peccata gravissima. Sane gravi quærimonia hoc malū deplorat Moyses ps. 90: 8. *Ponis iniquitates nostras in conspectu tuo occulta nostra in illuminazione vultus tui. Et Esa. fatetur immundos esse omnes nos, & justicias nostras ut pannū menstruatæ. c. 64: 6. Et Paulus Rom. 7. Miser ego homo, quis me liberabit à corpore mortis hujus? Subjungit vero: Gratia Dei per Iesum Christum. Et, Ego deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non memoraber amplius. Esa. 43. 25. Christi merita nobis in baptismo applicantur, non ex parte, sed omnia, ideo etiam omnium peccatorum fit remissio. Et quamvis inhæreat regenitis concupiscentia, facta tamen est remissio ejus, quoad reatum & obligationem ad mortem. Deinde mortificata est concupiscentia, per Spiritū sanctū qui datus est nobis, Rom. 5: 5. ut non regnet. Rom. 6: 12. Pugnandum autem est fidelibus toto vitæ tempore adversus hoc malum: Sic Paulus: castigo corpus meum, & in servitutem redigo. I. cor. 9: 27. Quod fieri oportet cum abstinentia, precibus, studio & labore atq[ue] spe auxilij Divini, ut dicere possimus cum Apostolo: Omnia possum in eo qui me confortat. Phil. 4: 13. Et fide,*

quæ vincit mundum. I. Ioh. 5: 4. Hinc illud Augustinide concupiscentiā; Remittitur non ut non sit, sed ut in peccatum non imputetur. De nuptijs & concup. I. i. c. 25. Nec hili est cavillatio Bellarmini, qui Apologiam confess. accusat, quod hoc dictum Augustini non recte citet, dicendo peccatum remittitur, cum ipse dicat concupiscentiā remitti i. de bap. c. 13. Sed quælo quid est quod in baptismo remittitur nisi peccatum? Et si concupiscentia in se peccatum non est, non opus habet remissione. Distingvendum tamen est inter appetitū naturalē, & bonū, & inter ~~avouas~~ & concupiscentiam, quæ post lapsum etiam in renatis semper impingit in legem; quæ papistæ in hac quæstione commiscent.

21. Res coelestis invisibilis quæ huic Sacramento inest, sine dubio est sanguis Christi, quo Spiritus Sanctus mediante verbo & elemento aquæ nos purgat à peccato, juxta illud Johannis supra allatum, *Sanguis Iesu Christi filij Dei emundat nos ab omni peccato.* Et Heb. 9: 22. *Sine sanguinis effusione non fit remissio.* Necesse est autem ut exemplaria veteris sacrificij huic purgationi respondeant. Talis erat Agnus Pascalis, cuius Sangvis vobis aspergebatur, Sacrificiorum quoque sangvis immundos purgabat: Circumcisio etiam sanguinis effusione peragebatur. Sangvis cum aqua ex Christi latere fluxit. Huc etiam respexisse videtur Iohannes, cip. 5: 8. *Tres sunt qui testimonium dent in terra; Spiritus, Aqua & Sanguis.* Et Paulus; *An ignoratis quod quicunq; baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius Baptizati sumus.* Rom. 6: 3. Et Augustinus. *Si Sacra menta similitudinem quandam earum rerum, quarum sunt Sacra menta, non haberent; Sacra menta non essent.* Epist. 23. Et Tract. II. in Ioh. ait, *Baptismum rubore Sanguine Christi.* Quod si quis huc adducat Spiritualem internam regenerationem, est ea illius effectum, & *Spiritus Sancti opus per illa media effectum.*

22. Nec



22. Nec dubium est Spiritum Sanctum quoq; adesse in baptismo; Sic enim habent verba Christi, Ioh. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest ingredi regnum Dei.* Adest verò ut tertia persona Divinitatis, opus regenerationis & sanctificationis efficiens; quia in uomine Patris, Filij & Spiritus sancti baptismus datur. Deinde ob peculiare Spiritus sancti opus, qui fidem in baptizatis operatur, qui sanctificat, qui regenerat, qui virtutes operatur: Imo qui datur nobis, Gal 3: 2. & 5. *Qui docet nos veritatem, qui manet nobiscum in aeternum.* Ioh. 14: 16. & 26. & 15: 26. & c. 26: 13. *Qui unxit nos, qui & signavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* 2. Cor. 1: 21. Itaque de his qui mysterijs initiantur, c. 2. Ambrosius sic concludit: *Legisti quod tres testes in Baptismate unum sunt; Aqua, Sanguis & Spiritus: qui si unū horū detrahias, non stat Baptismatis Sacramentū.* ut sup. th. 13.

23. Virtus, operatio, fructus. sive effectus baptismi exprimitur, Mar. 16: 16. Joh. 3: 5 R 6: 3. Eph 5: 26. Tit 3: 5. Ex quibus scripturæ verbis intelligimus, credentes per baptismum regenerari, mundari, non solum corpore, sed etiam quoad animam & conscientiam. 1. Pet. 3: 21. Tit. 3: 5. Hæc effecta baptismo Spiritus Sanctus tribuit: *Salvos nos fecit, per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus Sancti; quem effudit in nos abunde per Jesum Christum.* Salus itaque nobis contingit per baptismum & ingressus regni cœlorum, Ioh. 3. Deinde regeneration & purgatio à peccatis, cum peccati remissione. Mar. 1: 4. Tertio renovatione, quorum ista in ipsa hora baptismi contingunt; Renovatione vero in baptismo incipit, sensim vero perficitur, compleetur autē in vita futura, ubi Deus erit omnia in omnibus.

24. De verborum forma in baptismo adhibenda, creditur servandam esse necessario eam, quam in institutione baptismi Christus prescripsit, Matt. 28: 19. *Baptizate eos*

*in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Quæ verborum forma,
ut & aquæ usus immersio vel aspersio, quia ex Divina institu-
tione ad substantiam baptismi spectat, nec omitti nec mu-
tari possunt. Quia enim baptismus est fœdus cum Deo,
& hominis regeneratio est totius Sacrosanctæ Trinitatis o-
pus: & quia baptizandis necessaria est trium personarum
notitia; deniq; ut hanc fidem singuli palam in baptismo
prositeantur. Quæ causæ fuerunt cur Christus hanc formam
introduceret.*

25. *Quia vero ad hominum regenerationem Baptis-
mus Divinitus ordinatus est, inepte vel potius impie, ex
hominū arbitrio accommodatur rebus brutis aut inanima-
tis. Nam fides requiritur qua non cadit in res inanima-
tas, neq; etiam in hypocritas, Mahometistas, Iudæos, qui
ſæpe ob extera commoda, & propter conversationem
cum Christianis baptismum appetunt: neq; etiam in alios
quoscunq; qui Christianam fidem non profitentur, & sunt
extra Ecclesiam; Itaq; infantes extra Ecclesiam natos fide-
lium Ecclesia non baptizat. Christo enim baptizamus &
Ecclesiam colligimus, non idolis aut impietati; præcedat
vero pœnitentia & conversio ad Deum & ad fidem, quam
baptismus obsignat. Est enim signaculum iustitiae fidei; sicut
circumcisio, Rom. 4:11.*

26. *De Christianorum infantum baptismo, quæstionem
movent Sacramentarij, an omnes regenerentur? Quia
enim crudeli prædestinationis decreto maximam partem
hominum æternæ damnationi simpliciter & ab æterno de-
finitam esse contendunt; ideoque fidei vere nunquam fi-
eri participes à Deo reprobatos, neque regenerari permit-
tunt. Prodesse autem baptismum post annos plures, cum
se exerit rationis usus, & fides per verbi prædicationem ac-
cenditur. Natos autem in Ecclesia esse in fœdere cum Deo,*
&

& Sanctos, juxta promissionem ad Abrahamum, *Ego dabo*
tuus, & semini tui post te. Gen. 17: 7. Et juxta illud Pauli,
1. Cor. 7. Alioquin filii vestri immundi essent; nunc autem sancti
sunt. Quod magna contetione afferere conatus est Beza in
colloquio Monpelgaet. 29. & 28. Quinetiam adultos
quoque reprobos minime regenerari. Offerri tamen fi-
dem & regenerationem fatetur.

27. Nos contra credimus vere regenerari omnes cre-
dentes conversos plurimos tamen deficientes excidere fide
& salute, qui dum baptizarentur crediderunt: Manifestum
est exemplum Simonis Magi, de quo Actorum 8: 13. *Tunc*
Simon & ipse credidit & adhaerebat Philippo. Qui per ambi-
tionem & avaritiam postea defecit. v. 18. Sed quia ad-
versarij totam vim sacramentorum ponunt in significan-
do; impje hanc Hypocrisin Deo attribuant, si ijs sacra-
menta salvifica exhibeat, quos nunquam salvos velit; esset enim
miserorum mera ludificatio, quam nemo nisi blasphemus
Deo tribuet. Nos Divinis promissionibus nitimur. *Vi-*
vito ego nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur & virat. Ezech.
33: Ete. 18. Non delector morte pereuntis, dicit Dominus:
Convertimini igitur ut vivatis. Qui crediderit & baptizatus fu-
erit salvus erit. Mar. 16: 16. *Quicunqz in Christo baptizati e-*
ritis, Christum induitis. Gal. 3: 27.

28. Sicut Simon Magus per baptismum & fidem initio
salvus factus, postea à fide deficiens salutem excidit; sic ex-
adverso statuendum est, Hypocritas baptizatos postea poenitentes
conversos ac fideles factos, salutis ac regenerationis
participes fieri. Similiter etiam eos, qui per pec-
cata mortalia gratia & fide excidunt Spiritum sanctum a-
mittunt; conversos ad Deum per poenitentiam, iterum
baptismi prius accepti fructum percipere & salvare. *Dona-*
anim & vocatio Dei ameliorata sunt. Rom. 11: 29. Si
note



non credimus ille fidelis permanet, negare seipsum non potest.
2 Tim. 2. 13°

29. Quia vero fidem in infantes cadere Calvinistæ cum Anabaptistis negant, quibus etiam calculum suum addunt Papistæ; quippe cum rationis usus se in illis nondum exeruit, ut verbum Dei audire & intelligere possint, unde fidem percipient. Ex hoc errore ortum duxit Anabaptistarum hæresis, qui pueros non baptizant, sed in adultam ætatem Sacramenti initiationem differunt. Respondendum est, primo; Hac ratione etiam circumcisio pueris fuisset iniustitia quamvis à Deo mandata: Et quia impossibile est placere Deo sine fide, Heb. 11: 6. Rom. 14: 23. Sequitur pueros circumcisos habuisse fidem, ac salvatos fuisse. Quare igitur absurdum foret infantes baptismi foedere in gratiam receptos habere fidem? Et Christus ait, *Sinite parvulos venire ad me, tamen enim est regnum cœlorum.* Marc. 10: 14. Nec valet exceptio de pueris jam adultis, ut informationem perciperent; Dicit enim Lucas, *Attulerunt ei τὰ βρέφη* infantes scilicet in ulnis afferentes. cap. 18: 15. Quod de adultis dici non potest. Huc quadrat exemplum Iohannis Baptistæ, qui in utero matris exiliens fidem in Christum ostendit; pateat fidem à Deo dari parvulis, quamvis ratio fidei eorum rationi nostræ non sit pervia. Ioh. 3: 8. *Spiritus ubi vult spirat.* &c.

30. Accedit exemplum Apostolorum, qui familias totas baptizarunt, ut Cornelij: Act. 10. Stephanæ τὴν Στεφανᾶ ὄντος. Ibidem, c. 1: 16. Domum custodis carceris. Act. 16: 33. In quibus sine dubio etiam infantes. Adde praxin Ecclesia ab Apostolorum tempore, ad hæc nostra, huc usque continuata: Quæ omnia sibi sumpta nec bis abunde sufficiunt, ad faciendam fidem de baptismo infantum. Nec obstat quod sicut externo fidei, documenta parvulus non egat, quod nec dormiens facit, nec per mortuum mente motus;

motus; nemo tamen dixerit eos carere fide. Christus autem, Matt. 18: 6. Parvulis fidem tribuit; Qui scandalizare rit aliquem de pusillis istis qui in me credunt; &c.

31. Quod de sanctitate naturali seu congenita adversarij fabulantur, Christus ipse refellit, Joh. 3: 6. Quod natum est ex carne caro est: Et ibidem, v. 3. Nisi quis natus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei. Et Paulus, Eph. 2: 3. Erasmus natura filij irae sicut ceteri. Hoc est Judæi sicut gentes. Unde apparet quæ sit Baptismi necessitas, ne quis medium hoc regenerationis & sanctificationis contemnat, aut ob causas leves negligat; nisi velit de salute æterna periclitari. Dura videtur rationi hæc sententia tam rigida; Sed & Naaman Syro contemptibilis videbatur aqua Jordanis, quæ sola ablutione lepram curaret. 4. Reg. 5. Verum Dei Verbo quis contradicat? Stat immobilis Divina veritas, in æternum duratura. Esa. 4: 8.

32. Ergo omnes qui non baptizati deceidunt, in æternum peribunt? Absit. Sciendum primo ordinem hunc salutis acquirendæ, & hæc media, nobis esse proposita, non Deo, qui omnium legum est Dominus, potens salvare, etiam si nobis nulla media appareant. Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum. Mar. 10: 27. Lue. 18: 29. Sic mulieres in Veteri Testamento, sine circumcisione in fœdere computavit. Sic Israelitas indeferto decedentes, non circumcisos pro suis agnovit, differens circumcisionem, donec in terram benedictam essent ingressi. Ios. 5: 2. Sic Latro in cruce salvatus est fide, in Christum, non circumcisione. Hinc data est regula; Non privatio, sed contemptus baptismi damnat. Sic tempore pentecostis tantum baptizabantur olim Catechumeni; non tamen interra decedentes pro damnatis habebat Ecclesia. Alia enim est ratio ob-

C

servare



servationis mandati ac ordinationis Divinæ ; Alia necessitatis , ejus scilicet , quæ humana industria evitari nequit.

33. At conversis credentibus , per fidem sanctificatis , & regeneratis , baptismus supervacanens videtur ? Sic Abraham ante acceptam circumcisionem per fidem justificatus erat in præputio . Docente Apostolo , Rom. 4:9. Hanc questionem ibidem solvit Apostolus : Et signum accepit circumcisionis signaculum justitiae fidei . &c. Ostendit Apostolus Abrahoni exemplo Sacramentum hoc fuisse Abrahamo credenti necessarium : 1. Ex ordinatione Divina , in qua acquievit patriarcha , accipiens Circumcisionem . 2. Fides ejus , quæ in gravissimis temptationibus hæsitare facile potuisse , ob humanam infirmitatem , confirmatione opus habuit . 3. Ut hæsitanti aut lapsu extaret signaculum gratiæ , quo se erigeret & cum Deo in gratiam rediret . Ut cum de hærede promisso disperaret , accepta uxore Agar : & Gen , 17:17. Ab ut vivat Ishael coram te . Post acceptam vero circumcisionem , Apostolus , Rom. 4:18. Contra spem in spem credidit . Et non infirmatus est fide . Et paulo post : Non hæsitavit dissidentia , sed confortatus est fide , πληροφορηθης &c. Quod Patriarchæ exemplum qui recte perpendit , tantopere in scriptura celebratum , & fidelibus ad imitationem à Spiritu Sancto commendatum ; facile intelliget utilitatem baptissimi ctiam in conversis & fidelibus . Sic Æthiops , Act. 8:36. Quamvis coaversus & credens , baptismo tamen fidem suam confirmare , atq; obsignare desiderat : Ex quo latititia spirituali affectus discedit , ac sine dubio in gratia Dei confirmatus , fidem quam didicit ad alios spargit , & pluribus factus est salutis causa & occasio .

34. Cum baptismus tollat omnia peccata , quæritur an concupiscentia in renatis reliqua , verè ac propriè peccatum dici possit ? Sic enim non omnia peccata remissa forent :

Et



Et Paulus ait, *nibile esse condemnationis in his qui sunt in Christo*
Jesu, qui non secundū carnē ambulant. Et quia concupiscentia
est quædā naturæ conditio, ut non possit non agere juxta na-
turam à creatore inditam; ut cum Pelagianis philosophan-
tur Papistæ. Vident enim, nisi hoc obtineant, non posse
se complere operum justitiam, de quâ more Phariseorum
gloriantur. De hac quæstione egimus superiore disputatione
Synodali de peccato: ubi scripturæ verbis ostendimus con-
cupiscentiam verè esse & dici peccatum. Nunc breviter.
Gen. 8: 21. *Cogitatio cordis hominis mala est à pueritia.* Quod
est judicium Dei de sanctis in arca servatis. David, *Ecce in*
iniquitatibus conceptus sum. Psal. 51: 7. Job. 14. *Quis faciet mun-*
dum de immundo? Esa. 64: 6. *Facti sumus ut immundi omnes nos.*
Quod natum est ex carne, caro est. Joh. 3. Matt. 12: 34. *Malus*
homo ex malo thesauro profert mala. Rom. 7. Peccatum inha-
bitans. Moyses Ps. 90: 8. vocat *occulta nostra,* *Unde sumus*
naturæ filij iræ. Eph. 2: 3. His adde quæ Paulus de Judæis re-
natis demonstrat; Rom. 2. Et est peccatum non transiens,
sed immanens, & dicitur *vanitas sensus, cæcitus cordis, igno-*
rantia, aversio à vita Dei. Eph. 4: 17. Quæ si maxime est con-
ditio naturæ, ut sane est; sed mala est & tristis corruptio,
ad omne bonum inhabilis, Spiritui resistens. Gal. 5: 17. Num
hæc conditio naturæ placeat Deo? Sane non magis quam
parenti lepra in filio; aut contractus vitij habitus in prole.

35. Cum igitur alia sint peccata actualia, alia habi-
tualia congenita, ut cum ebrius generat ebrietatis naturali
habitu corruptum, aut superbiam, avaritiam, libidinis, iracun-
diam; altius adhuc radices in natura fixit concupiscentia;
cæterorum malorum caussa, & est gravius peccatum, alio-
rum scilicet peccatorum fons & origo, ex qua ut ex iacatu-
rigine cætera profluunt. Quicquid in ea peccati rationem
habet, in baptismo remittitur, tegitur, non imputatur: qui-

hūs terminis id describit Sp. S. Ps. 32: 1. Ro. 4. 3. 4. 5. 6. & seq.
Remittitur vero, non ut extingvatur omnis concupisendi
potentia, ut non sit postea in homine; Sed reatus, ne im-
putetur in peccatum ej cui inceit, quamvis maneat in ho-
mīne concupiscenti vis, & propendeat temper ad malum,
sicut res gravis, tendit deorsum. Non imputatur autem
illis qui spiritu Dei aguntur, nec obediunt desiderijs ejus.
Alias, Si secundum carnem vixeritis moriemini. Si autem spi-
ritu facta carnis mortifica veritis, vivetis, dicit Apostolus, Rom.
8: 13. Si vero in baptizatis non maneret, non esset morti-
ficanda baptizatis. Fatetur Cassander in consult. art. 2.
Concupiscentiam peccatum non inepit dici, quia dominatio-
ni mentis resistit. Rom. 7:23. Et Gal. 5: 17. Concupiscit adver-
sus Spiritum: Et Lege Divina prohibetur. Rom 7:7.

36. Nec solum reatus ac noxa remittitur, ut personam
cui inest damnare non possit; sed & vis agendi debilitatur,
frangitur, & a Sp. Sancto nobis inhabitante reprimitur, ut
non maneat eadem quæ ante, nocendi potentia. Excita-
tur enim fides, dilectio Dei, spes vitæ æternæ, pietatis stu-
dium, virtutum & orationis ad Deum, cum quibus simul a-
gere nequit concupiscentia, manente in fidelibus & germi-
nante semine verbi divini, ac promissionum. De quo Pet.
1. Ep. c. 1: 23. Et 1. Ep. Joh. c. 3: 9. Omnis qui natus est ex Deo,
peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet, nec peccare
potest, quoniam ex Deo natus est. Iac. 1. 18. Voluntarie nos genuit
verbo veritatis, ut simus initium aliquid creaturæ ejus.

37. Quod si ulterius quærendo pergimus; cur Deus per
baptismum non tollat concupiscentiæ vim & naturam uni-
versam? Respondeatur, consilia Divina profundiora esse,
quam ut sensu humano percipi possint. Si vero aliquid est
dicendum, videtur post lapsum in carne relicta esse i. ut pœ-
na peccati. Potuisse autem Deus ob neglegitum facilimē

mane-



mandati, & donorum insitorum naturæ, hominem à Deo
aversum, quia relicto mandato salutari, Diaboli consilium
sequebatur, æterna pœna juste punivisse. Dcinde, ut ha-
beret homo unde memoria recoleret peccati atrocitatem,
atq; magnitudinem iræ Divinæ, ut securitate abjecta, pœnæ
æternæ gravitate ab ulteriore peccandi libidine obsterre-
atur. Tertio ut mente recognoscamus misericordiam Di-
vinam, qnia paterno favore ob Christi meritum, vitium
hoc naturæ benigne remittit; sicut pater filijs graviora
delicta sape remittit, ob spem pœnitentiaz, emendationis,
ac melioris vitæ. Sic David Absaloni parricidij gravem
culpam remisit, ac perversi animi noxam, ut spatium cor-
rectionis daret. Tandem ob exercitium spiritualis vitæ
exercendæ, in studio & lucta adversus eandem; ne in securi-
tatem relaberetur, sed coronæ acquirendæ materiam habe-
ret; quæ est ratio Augustini, I. i. de baptismo parvolorum,
cap 39. Et hoc addere lubet, ut intelligamus beneficij Di-
vini & meriti Christi magnitudinem atq; excellentiam, qui
nobis donum Spiritus sancti contulit, cuius cooperatione
malum hoc superare possimus, ut parta victoria, laudetur à
nobis Deus per omnia secula seculorum.

38. Nec est minimum, sed maxime illustre Divinæ gra-
tiæ beneficium quod qui anteā eramus filij iræ, venditi sub
peccatum: nunc per Baptismum imputata nobisq; applica-
tâ justitiâ Christi, in filios Dei adoptamur, Messiaz merito-
rum participes redditur, in filios adoptamur, Christum in-
duimus, Gal. 3: 27. Quicunq; in Christum baptizati estis, Chri-
stum induistis, Et ibidem cap. 2: 20. Una crucifixi, ut vivat
in nobis Christus. Unide oritur in corde gaudium & læti-
tia spiritualis, sicut ex hac felicitate exultat in Spiritu Esa.
61: 10. Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in
Deo meo: quia induit me vestimentis salutis & indumento justitiae

circumdedit me. Hinc igitur, qua in filios Dei adoptamur. Si autem filii, etiam heredes: heredes quidem Dei, cohæredes autem Christi; si tamen compatimur. Rom. 8: 17. Creati in Christo ad bona opera. Eph. 2: 10. Sancti, sine macula aut ruga. Eph. 5: 26. Hæc divina beneficia tam illustria per baptismum nobis collata, crebra baptismi memoria sunt repetenda, ad confirmationem fidei, ad peccatorum pœnitentiam, & gratitudinem erga Deum.

39. Tergéria, sequitur renovatio, cum per sanguinē Christi mundatis imputatur & applicatur justitia Christi, ut cum in jus filiorum succedentes baptizati, ac Sp. Sancto donati, renovantur de die in diem, in sanctitate ac vitæ novitate crescunt, ad perfectionem tendunt & ad consummationem quæ absolvitur in resurrectione mortuorum. Donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionem filij Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Eph. 4: 13. Et Phil. 3: 10. & v. 14. Unum autem quæ quidem retro sunt oblitioseens, ad ea vero quæ sunt ēp̄ençodlw extensens meipsum, ad destinatum persequor. ad bravium superna vocationis Dei in Christo Jesu. Utq; sciant baptizati quid in posterum fieri oporteat, Postea velut iu fasciculum cīnia contrahit, cap. 4: 8. De cetero fratres, quæcunq; sunt vera, quæcunq; pudica, quæcunq; justa, quæcunq; sancta, quæcunq; amabilia, quæ bona fama, si qua virtus, si qua laus disciplina, hæc cogitate. Quæ & didicisti, & accepisti, & audisti & vidisti in me, hac agite, & Deus pacū erit vobiscum. Sic suum & sanctorum exempla imitanda ipsis proponit, eap. 3: 17. Quatenus ipsi Christum imitantur, 1. Cor. 11: 1. qui est norma omnium actionum nostratum.

40. Sic breviter proposita vera de baptismo sententia; rejiciuntur errores, Pontificiorum primo; Qui concupiscentiam ita in baptismo sanctificari contendunt, ut nihil remaneat damnable, quod habeat ullam peccati rationem,

nem, hisi accedit consensus voluntatis. Qui error parum
adest à sententia Pelagianorum. Sie de infantum peccato
philosopher Julianus: Ideo in parvulis non esse delictum, quia
sine voluntate, quae in eis nulla est, esse non potest. Respondet Au-
gustinus; Hoc recte dicitur propter proprium cuiusq[ue] peccatum,
non propter primi peccati originale contagium. lib. 3. cap. 5. cont.
Jul. de nupt. & concup. querit, Quid agat concupiscentia?
Respondet: agit autem quid? Nisi ipsa desideria mala &
turpis. Non enim si bona & licita essent, eis obedire prohiberet.
Rom. 6: 12. Et paulò post: Ut tamen nec ipsa sunt desideria vel-
le debemus, etiamq[ue] in corpore mortis hujus, id obtainere non possumus.
cap. 27. & cap. 29. Ideo Apostolus non ait facere bonum sibi non
adjacere, sed perficere. Multum enim boni facit, qui facit quod
scriptum est, post concupiscentias tuas non eas; sed non perficit, quia
non implet quod scriptum est; Non concupisces: ut nos in hoc mor-
bo jacere invenientes, medicinam gratia quereremus.

41. Calvinianorum quoq[ue]; cavenda est corruptela, qui eos
solum regenerari putant, qui sunt ad vitam prædestinati.
Contrarium demonstratum fuit superius, exemplo Simo-
nis Magi. Oritur hic error ex prava opinione, qua putant
eos qui vere regenerati sunt, gratia Dei nunquam excidere
posse. Nec mindis aberrant de tempore quo contingat i-
psa regeneratio, cum putent, vel ante baptismum contin-
gere; ut conversi fide donati, inq[ue]; gratiam recepti, signum
baptismi accipient, ad fidei & ſo[ro]g[e]liaſ obſignationem. Vel
longo post baptismum tempore; cum demum ad fidem
conversi, ſimiliter fidem obſignent. Sic derogatur effica-
cia Sacramento, & relinquitur significatio mera; Sic bapti-
ſmus non foret lavacrum regenerationis, ſed signum regene-
rationis factæ, vel futuræ. Nos contra credimus baptismum
efficax organon non ſolum obſignans, gratiam regen-
erationis, quod certe facit, ſed etiam coufercus, ut ſupra de-
claratum

claratum est. In couversis vero & fide purificatis, gratiam
uberiorem.

42. Ex eodem errore infantibus denegant baptismi
salutarem fructum; consequi vero putant, cum adulti, ex
verbi divini informatione fidem concipiunt. Sanctos vero
pronunciant fidelium filios, ex vi promissionis ad Abrahamum,
Gen. 17:7. *Ego, Deus tuus & seminis tui post te.* Et ex
verbis Apostoli, 1. Cor. 7:14. *Alioqui filij vestri immundi essent,*
nunc autem sancti sunt. Quæ sunt etiam præcipua argumenta
Anabaptistarum à Sacramentarijs mutuata. De promissio-
ne ad Abrahamum dicendum est, eam non esse absolutam,
sed conditionem in eodem capite apponi; videlicet, ut
circumcidatur, & servet pactum Domini. Ad dictum A-
postoli respondet August. de pecc. mer. & remiss. l. 2. cap. 6.
*Non ita sancti ut baptismo non egeant, sed secundum ali-
quem modum;* qui tamen ad eam quæ per baptismum fit,
non pertineat. Et Ambrosius in hunc locum: *Immundi
essent filij eorum, si dimitterent volentes habitare secum, & alijs se
copularent, essent enim adulteri & filij illorum spurij.* Alias
pueri fidelium sine baptismo, sunt filij iræ. Eph. 2:3. *Ex
carne nati,* Joh. 3. *Nec generat homo unde regeneratus est, (quod
fit ex spiritu & aqua) sed unde natus est;* ut sit caro ex carne.
Joh. 3:6.

43. Est ne igitur nulla prærogativa eorum qui nati sunt
in Ecclesia ex parentibus baptizatis & sanctis? Magna sanè,
Quia enim à sanctis procreati sunt, simul cum ipsis ad cæle-
stem beatitudinem vocati sunt, illis etiam promissio facta;
Act. 2:39. *Vobis promissio facta est & filiis vestris.* Occasio
quoq; data per quam per baptismi sacramentum Deo of-
ferri iniciari, aducti facti etiam informari possint in fide ac
doctrina Christiana. Hæredes sunt bonorum externorum
qualia de Iudæis Paulus recenset, Rom. 9:4. Privilegia
hæc

hæc sunt eorum, qui ex Christianis nati, in Ecclesia enutri-
ti adolescentur; ubi mox, quam primum capaces informa-
tionis per ætatem redduntur, præsto sunt vel parentes, vel
præceptores, à quibus fidei initijs imbuti, atq; in Dæi cogni-
tione informari possint. Ad sunt libri sacri, quibus lectis
überiorem fundamentorum religionis cognitionem hauri-
ant; sacrae conciones audiuntur quotidie: quibus admi-
niculis destituti sunt extra Ecclesiam nati.

44. De loco in quo peragendus fit Baptismus, cum ni-
hil sit in Divinis literis definitum, relictæ videtur libertas
Ecclesiæ, statuendi de loco idoneo ad comoditatē fidelium;
Placuit vero Ecclesiæ in loco publico & conventu fidelium
Sacramenta administrare: Et sicut Paulus innuit i. Cor.
15: 29. in loco sepulturæ fidelium baptizatos fuisse Christia-
nos. Et Julianus Christianis exprobabat, eos ad sepulchra
advolvi, sacra peragere & Deum invocare. Apud Cyrillam
l. 10. cont. Julian. Postquam v. templa extorta sunt, in qui-
bus ad sacra convenitur, Christiani in his sacra peragunt, Sa-
cramenta administrant: quæ consuetudo à majoribus ad nos
translata, mutari ad temeritatē quorundā non debet; nisi
necessitate flagitante, cum nisi fiat, privatio sacramenti me-
tuitur. Consuetudo hæc servanda est ad reverentiam &
venerationem Sacramenti; etiam, ut qui ad sunt fideles,
infantem receens natum Deo commendent devotis preci-
bus: demum ut & illi glorificant Deum qui nos labore origi-
nalis peccati mortuos vivificavit, baptismi sacramento san-
ctificavit, & in gratiam recepit. Nec probanda est co-
rum ambitio, qui nulla necessitate adacti, sibi tantum
respectus eaussa, baptismum in suis ædibus peragi postulant,
ut & ministrorum qui talibus adulatore contentiunt. Re-
dolet hæc temeritas tacitum sacrorum & Ministerij con-
temptum, sicut cum sacra publica deferunt, amant vero

D

dome.

domestica, cum pauperum & infirmorum scandalō: Paulus jubet fieri omnia ad edificationem in Ecclesia. Rom. 14:19. Et iterum 1. Cor. 14:26. Et 1. Cor. 11:22. Corinthios, objurgat, qui Ecclesiam in sacræ cœnæ communione contemnunt, & sumptuoso apparatu pauperes contundunt; Sic qui convocata testium multitudine, donaria & lucrum venantur: quæ est quædam splendida medicationis species.

45. Quod sub dio veteres peragebant, posteri extructis jam templis circa ingressum in templo agunt, in vase ad eum usum ex lapide excavato, quod baptisterium dixerunt antiqui; Ambrosius de Sacramentis Ecclesiæ lib. 4. cap. i. voluerunt ipso loco ostendere baptizandos hoc ritu Ecclesiam ingredi, ejus membra fieri, Christo inscri; ut privilegiorum Ecclesiæ participes facti, salventur. improbat hanc consuetudinem gens Sacramentaria, putat verò decere, ut in intimo Ecclesiæ loco magis conspicuo baptismus celebretur, ubi cœnæ sacramentum tractatur. Sic plus cæteris sibi sapere videtur, ut quadam innovandi libidine declarent, se nihil ex veteri consuetudine servare velle; ideo altaria diruunt, mensas apponunt, ut se quā longissime segregent à reliqua Ecclesia. Sed sicut tale præter necessitatem novandi studium, prudentibus omnibus magnopere displicet, sic simplices offendit, ac dubios reddit de tota religione, cum inde colligunt nihil certum esse, sed omnia hominum arbitrio subjacere. Nonne in potestate situm est Ecclesiæ, ut in rebus adiaphoris statuat, quod Ecclesijs conducat? Si igitur servatur antiqua consuetudo Ecclesiæ quæ sine scandalo servari potest; nihil ea res habet incommodi: Plus verò nocet qui levi de causa mutat & simplices dubios reddit. Paulus Pseudodoctoribus non cessit ad horam, qui subintroierunt explorare libertatem nostram: Nec nos tenemur Sacramentarijs hac in parte nos accommodare.

Vide-





Videbimur enim cum ipsis in gravioribus colludere, nec est ea res tanti momenti, ut mutationem ullam requirat.

46. Exorcismum veteres induxerunt, ad denotandam gravitatem peccati originalis, quo sedatus est homo sub potestatem Diaboli. Durius autem sonare videtur delicates auribus Calvinianorum, quasi corporalis obsessio significetur; & quia Papisticum inventum sit exorcismus. Forte etiam quia obstat videtur sanctitati quam imaginantur in infantibus fidelium. De primo dico, umbras metuere adversarios, aliter enim informata est Ecclesia. 2. Antiquior est exorcismus Papatu & patribus cognitus. Ambrosius in commentario Epist. ad Ephesios & lib. 1. de Sacramentis cap. 5. Cum forma baptismatis & usus hoc habeat ut ante fons consecratur, & tunc descendat qui consecrandus est: Nam ubi primum ingreditur sacerdos exorcismum facit, secundo super creaturam aqua invocationem: postea precem defert, ut sanctificeatur fons & adsit presentia Trinitatis aeterna. Augst. de peccatorum meritis & remissione, lib. 1. cap. 34. Velle aliquis istorum qui contraria sapiant, mihi baptizandum parvulum afferret. Quid in illo agit exorcismus, si in familia diaboli non tenetur? Ipse certe mihi fuerat responsurus, pro eodem parvulo quem gestaret, quia ille pro se respondere non posset. Quomodo ergo dicturus erat eum renunciare diabolo, cujus in eo nihil esset? Multa hinc observanda veniunt, primo unde desumpti sint antiqui ritus, adhibiti antiquitus circa baptismi sacramentum, & quae in agenda Ecclesiastica inserta fuerant; deinde, unde exorcismus initium habuerit, non a Papistis, ut vociferantur sacramentarij: demum veteris Ecclesiae consensus cum hodierna orthodoxa, omnes homines ante suscepturn baptismum, pueros cum adultis esse constitutos sub potestate diaboli.

47. Nam de Catechumenois conversis ad fidem, decadentibus ante suscepturn baptismum; seu constitutis interra aren-

ra arenosa, ubi aqua haberi nequit, de his certum est, conversos esse non solum ad fidem, sed etiam ad suspiciendum data occasione baptismum, ac voluntatem habere suspiciendi: Deus autem cor respicit, sicut exemplo latronis declaratum est superius. De catechumenis ratio est, quia opportuit ipsis fide bene imbui, quia in ipsis fuit plenus rationis usus ut informationis capaces essent. Ne forte non sat is informati occurreret aliquis fidei articulus, qui ab ipsis negaretur, qui tamen ad salutem esset necessarius; ut fides resurrectionis mortuorum: tales licet in prioribus sat is essent informati, nisi etiam hoc admisso, baptizandi non essent. Quæ tertia erat Sacramentiorum exceptio, de ea dictum est superius; Adverfarijs incumbit necessitas probandi infantes Christianorum sanctos esse, & omni peccato carere; aut qua ratione à peccato originali liberentur, carinalis certe generatio id ipsum præstare nequit. Modus autem spiritualis generationis in parvulis doceri nequit.

48. Si qua circa baptismum supersticio, aut corruptela vel abusus alias incidat, præter ea quæ dicta sunt, Pastores Ecclesiarum, ea notent, adhibita diligentia, ne qua hominum teneritate prophanetur res tam sancta & venerabilis, atq; ad salutem hominum Divina autoritate ordinata; & quæ per privatos corrigi nequeunt, ad publicos conventus referant, ad disquisitionem eorum, qui plenius de fidei ac religionis negotijs informati sunt. Ut sancte & cum decenti devotione salutis nostræ mysteria tractentur, ad ædificationem credentium. Quod ut fiat, devotis animis oramus, ut crescat & augeatur fidelium societas, in gloriam & laudem nominis Divini; cui sit laus & gloria
per omnia secula seculorum

Amen.





Cum libras sit Christus ut passim docuit
Cum Theologi quam p̄di Una nūc quāq̄ libas
est a' Contra et magnitudo



















Inhousef. 3

VD.AZ.

D:



DISPUTATIO

De

BAPTISMO

o Confessio-
tanæ;

ria Upsaliensii
ta,

S I D I O
CANUTI
Upsaliensis.

E B Ü N T.

hister in Nääs.

hister in Mora.

omminister in Wendelaö

anno 1648.

U P S A L I E ,

Imprimebat Eschillus Matthiae.

